Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26002
Copyright: Admont, Benediktinerstift

bat incidit. Nam nisi prius intus intumesceret, foris temptatus tam facile non cede-
ret. Vera est enim satis sententia que dicit. Ante ruinam enim exaltabitur cor.
Qui etiam despoliaverunt eum, gloria videlicet inmortalitatis et innocentie veste
privarunt. Hec est enim prima stola qua iuxta aliam parabolam luxuriosus filius
per penitentiam rediens ornatur, et qua prevaricati amissa cognoverunt se esse nudos,
tunicasque pellicias nature mortalis induti sunt. Et plagis inpositis abierunt se-
mivivo relicto. Plage peccata sunt quibus nature humane integritatem violando
seminarium quoddam ut ita dicam augende mortis fessis indidere visceribus. Abi-
erunt autem non ab insidiis aliquatenus cessando, sed earundem insidiarum fraudes
occultando. Semivivum reliquerunt, quia beatitudine vite inmortalis exuere,
sed non sensum rationis obolere valuerunt. Ex qua enim parte sapere et cognoscere
deum potest, vivus est homo. Ex qua vero peccatis contabescit et miseria deficit,
mortuus idem letiferoque est vulnere fedatus. Accidit autem ut sacerdos quidam
descenderet eadem via, et viso illo preteriit. Similiter et levita cum esset secus
locum et videret eum pertransiit. Sacerdos et levita qui viso saucio transierunt
sacerdotium et ministerium veteris testamenti est, ubi per legis decreta mundi
languentis vulnera monstrari tantum, non autem curari poterant, quia inpossibile
erat ut apostolus ait sanguine vitulorum et agnorum et hircorum auferri peccata. Samarita-
nus autem quidam iter faciens venit secus eum, et videns eum misericordia motus est. Sama-
ritanus qui interpretatur custos dominum significat, cui rectissime propheta ne hos latro-
nes possit incurrere supplicat, Custodi me inquiens a laqueo quem statuerunt
mihi et a scandalis operantium iniquitatem, qui propter nos homines et propter
nostram salutem descendens de celo vite presentis iter arripuit, et venit secus eum qui
vulneribus tabescebat inflictis, id est in similitudine hominum factus et habitu
inventus ut homo conpassionis nostre susceptione finitimus et misericordie factus est con-
latione vicinus. Et adpropinquans alligavit vulnera eius infundens oleum
et vinum. Peccata que in hominibus invenit redarguendo cohibuit, spem
venie penitentibus terrorem pene peccantibus incutiens. Alligat enim vulne-
ra dum precepit, Penitentiam agite, infundit oleum dum addit, adpropinquabit
enim regnum celorum. Infundit et vinum dum dicit, omnis arbor que non facit
fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. Et inponens illum in iumentum
suum duxit in stabulum, et curam eius egit. Iumentum eius est caro in qua ad
nos venire dignatus est, in quo saucium inposuit quia peccata nostra porta-
vit in corpore suo super lignum, et iuxta aliam parabolam inventam que erraverat
ovem humeris suis inpositam reportavit ad gregem. Itaque inponi iumento est
in ipsam incarnationem credere Christi eiusque misteriis initiari simul et ab
hostis incursione tutari. Stabulum autem est ecclesia presens, ubi reficiuntur
viatores de peregrinatione hac in eternam patriam redeuntes. Et bene iumento